



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 4. Præstare filium doloris esse in hac, quàm in altera vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

rem, thesauris omnibus chariorem. Quid hanc fortitudinem, in heroide Christiana, miremur? Attalus Stoicus dicere solebat: Senec. Malo me fortuna in castris suis, quam in deli- lib. 1. ep. cys habeat. torqueor, sed fortiter: bene est. oc- 67. cidor, sed fortiter: bene est. Audi Epicurum, dicet: Et dulce est. Vror, sed inuictus. Quid ni optabile sit, non quod vrit me ignis, sed quod non vincit. Nihil est virtute præstantius, ni- bil pulchrius: & bonum est, & optabile, quid- quid ex huius geritur imperio. Sic ex homi- nibus heroës, sic semidei, sic dij efficiuntur. Denique sic Deus nos prædestinavit confor- Rom. 8. mes fieri imaginis Filij sui; ideoq; & nos per pa- 29. patientiam curramus ad propositum nobis certa- men: aspicientes in authorem fidei, & consum- matorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, su- stinuit crucem, confusione contemta. Atque Hebr. 12. 2. hoc alterum erat, quod, contra Fortunæ ictus, remedium numerauimus.

§. IV.

*Præstare, filium doloris esse in hac, quam
in altera vita.*

Sequitur tertium, paruo malo, grande, immo æternum malum redimi, Quis For- tunæ casus potest tam esse acerbus, quam gehennæ cruciatus? quæ confusio huius vi-

tæ non debet contemni , præ confusione , quæ, coram toto Mundo, in extremo iudicio , atque postea , sine fine , erit in Inferno ? Sæpe autem Deus hîc cruciat , vt in æternum parcat. Itaque tribulatio & dolor non tantùm est , in electis , character & signum , eos esse filios Dei , sed etiam , esse electos. Vtriusque simul figuram habemus in diuinis historijs. Rachel enim vltimum charissimūmque filium Benoni , hoc est , filium doloris (sicut Isaias Christum , virum dolorum , & scientem infirmitatem) Iacob autē eundem Beniamin , hoc est , filium dexteræ nominauit. Quid est hoc aliud , quām filios Dei , qui persecutionem patiuntur , esse nō tantùm Benoni , seu filios doloris , sed etiam Beniamin , filiosq; dexteræ , qui scilicet in illâ dexterâ collocabuntur , vbi agni , non hædi , iudicante Domino , statuentur ?

§. V.

*Hydropici senis , intercute aqua , quām in
æternis ignibus cruciari preoptantis.*

Prat. Spi-
rit. cap. 8. In Turrium cœnobio , canicie veneranda senex adeò seuerè vixerat , vt in multa corporis incommoda caderet. Inter quæ fuit etiam hydrops. Veniebant ergo ad illum , è diuersis locis , qui eum consolarentur,